gentem suas copias uniunt omneque petrolei illic territorium sibi subigunt. Vehementer, at frustra, reclamant Persae; administrorum collegium suo munere se abdicat; novum quod sufficitur, fortasse ad maiora damna vitanda, res hisce principiis componit:

I. Angli et Russi idonea quidem Persidis loca occupabunt; recedent vero quum cautionum necessitas, quae ad hunc actum impulere, cessaverit.

II. Nunquam tum Russi tum Angli interno regimis ordini sese interponent.

III. Cum mutuationis forma pecuniae auxilium Persidi Anglia commodabit.

Huiusmodi conventa minus accepta regi Riza Pahalevi fuisse videntur; imperium enim is cessit Mohammed filio, qui rerum summam assumens non sine multorum admiratione edixit, Persicum gubernium una operaturum esse cum Anglia ac Russia, quippe communis sit omnium utilitas. Quod reapse haud satis dilucide apparet.

Pridie kal. Oct. MCMXLI.

POPLICOLA.

PAROAEMIAE SIVE ADAGIA

NON OMNES QUI HABENT CITHARAM SUNT CITHAROEDI

M. Varro, in libro *de re rustica* secundo, hanc sententiam habet. Huc adscribendum videtur quod lepide scripsit Seneca, quemdam personam malle, quam faciem. Faciem vocat ubi quis talis videtur qualis esset; personam quum praesefert aliquis, quod non est. Potest et ad avaros torqueri, si neges eos divites qui possident opes eis nosse uti; ut non est citharoedus qui tenet citharam, sed qui recte citharam noverit adhibere.

NOVIT QUID ALBUM, QUID NIGRUM

Duplicem in sententiam hoc adagium accipi potest, nempe aut: « Novit discrimen recti pravique », aut: « Novit id quod nemo vel indoctus ignorat ». Nam evidentius est albi nigrique discrimen, quam ut quisquam non videat. Aristophanes in *Equitibus:* « Nullus nunc est qui nesciat Arignotum lyristen, qui album noverit rectosve noverit modos ». Interpres ostendit exponitque proverbium: « Videtur esse tractum a priscis illis mortalibus, qui duos tantum naturales colores noverant, album et nigrum, teste Pompeio ».

LIBERA A PITTACIIS RESPONSA

Cl. v. A. HAB..., Romae. — Quid nobis Avenarius agit? Ex quo in Urbe est, longe magis abesse videtur quam quum in Germania moraretur.

Rev. v. A. CA....., *Bononiae*. — Qui a nobis desideratur adhuc fasciculus, non mensis Decembris superioris anni est, sed Decembris MCMXXXIII.

Cl. v. H. L.., *Vratislaviae*. — Litterae tuae serius ad nos pervenerunt, quam ut scriptum in hoc fasciculo edere possemus. Locum igitur in proximo habebit. Doctori illi quae nobis commisisti scripsimus.

Cl. v. I. ISS..., *S. Leonardi in Helvetia*. — Ut vides, « notae » confectae sunt. Nonne alias eiusdem vel alius generis habes? Gratissimum nobis feceris, si eas quo citius miseris. Neque minus gratum, si inter veteres chartas expiscando, aliquem *Almae Romae* fasciculum eorum qui a nobis desiderantur tibique suo tempore non uno exemplari tradidimus, inveneris, nobisque pro humanitate tua reddideris.

A SECRETIS.

IMPRIMATUR:

† Fr. A. C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ANN. XXVIII - FASC. X MENSE OCTOBRI MCMXLI

BIBLIOTECA
INVENTARIATO AL N°



Per.
Lat
011

SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

VARIA

Tardas de publica re consultationes esse vitandas. [1]

Est istud peculiare vitium cum Rerumpublicarum tum Principum omnium, quicunque parum prudentia, viribus consilioque valent, ut in consultando nimis tardi esse soleant; quae res tunc imprimis periculosa est, quando agitur de suppetiis ferendis aut denegandis iis, qui aut ut amici, aut ut hostes tractandi sunt. Sive suspendantur huiusmodi rerum deliberationes inopia consilii et virium, sive odio eorum quibus auxilia decernenda sint. Et qui boni patriae cives esse volunt non eas deliberationes debent impedire, quibus videant auxilia decerni iis, quos odio privato prosequantur: semper enim publica privatis anteponenda.

Quum interfecto Hieronymo, Syracusanorum tyranno, bellum esset inter Carthaginenses et Populum Romanum, diversae erant Syracusanorum factiones; quod alli in Romanorum amicitia permanere, alii se Carthaginensibus adiungere vellent, iamque civitas, diversis studiis divisa, nil certi decernebat. Sed Apollonides, principum Syracusanorum unus, ostendit illam consilii ambiguitatem perniciem civitati accelerare: sive igitur ad Romanos, sive ad Carthaginenses inclinent omnes, gratum fortunatumque fore; sin alius alio trahat res, nec certi quicquam constituant, bellum quod inter Poenos et Romanos esset, ad Syracusanos rediturum, et oppressum iri civitatem.

Idem periculum, quod ex ambiguitate consilii Syracusanis impendisset, Livius hoc exemplo ostendit, etiam quibusdam Latinorum sociis, Laviniis praesertim, accidit. Nam quum Latini in bello adversus Romanos auxilia ab iis petiissent, Lavinii tam diu deliberarunt, ut non prius decernerent auxilia, quam Latini caederentur. Itaque quum iam extra portas Milonius, eorum praetor, cum auxiliario milite proficisceretur, ac nuntiaretur Latinos iam caesos esse, respondit exiguum illud itineris quod confecissent, ut sociis suppetias ferrent, a populo Romano magno pretio redimendum fore: quae quidem illis accidebant ob nimis diu suspensam deliberationem, nam sive auxilia illis suppeditare, sive denegare vellent, cito decernere oportebat; atque ita si negassent populum Romanum non offendissent; si decrevissent, adiumento esse potuissent, ne caederentur; differendo periculum evitare non potuissent. quicumque tamen esset rerum eventus.

[1] Ex Nicolai Machiavelli opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii* latine vertit H. Bindi. – Cfr. fasc. sup.

Iocosa

Tuccius ante ostium posuit molossum. Amicus, qui nostrum invisendum accedit, canem quum videt, clamat:

— Heus Tucci, numne mordit hic canis?

Tuccius: — De hoc quidem experimentum agere cupio; canem enim hodie tantum emi.

Tuccius Patri blandiens:

— Hac nocte in somnis mihi visus es duabus argenteis libellis me donasse.

— Optime; quia hesterna die recte fecisti, eas retinere potes.

Aenigmata

I

Pauperies egŏ sum: queis ad vitam est opus, [illis
destituor rebus. Me procul usque mane!
Quod vocem claudit, si voci sigma preiret,
urbis conspiceres moenia Sicaniae.

II

Suspectus sceleris sto iudicis ante tribunal.
Praefigis geminas si mihi litterulas,
exoritur princeps Persarum, mente superba
qui quondam Graecis impia tela tulit.

Fr. Palata.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Columna, Columba;* 2) *Hŏra, Hŏra.*

Ann. XXVIII Romae, mense Octobri MCMXLI Fasc. X

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXLI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* sive ad Iosephum Fornari doct. *Romam, Via di S. Maria dell'Anima, 39* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*

HISTORICAE NOTAE

Legis XII tabularum brevis expositio

Aeneas vel lapideas legis tabulas scriptas Romae nemo unquam vidit, nemo earum legum verba ad litteram exscripsit, quarum ideo dissecta disiectaque membra hinc inde, praesertim a iuris consultis atque grammaticis, accepimus; raro verba ipsa, plerumque sensum tantum.

His reliquiis XII tabularum undique colligendis restituendisque primus sollertem navavit operam I. Gothofredus; [1] recentiore autem aetate diligentissime restitutiones inde a saec. XVI factas congessit atque exposuit H. Dirksen, [2] ubi etiam eos enarrat qui a saec. XVI ad ipsum huic studio dederint operam; viamque rationemque novam ad idem studium aperuit ac stravit, a qua haud longe abscessere qui postea de eadem re scripserunt. Eum sequutus est Rud. Schoell, [3] qui ex artis philologicae ratione plurimum contulit ad easdem collustrandas, et I. Wordsworth [4] et C. C. Bruns. [5] Huius praesertim vestigia deinde presserunt I. Riccobono, [6] Bonfante et Pacchioni in suis historiis iuris romani; eadem nos ut plurimum sequemur.

Iamvero ipsi iurisconsulti romani legem XII tabularum explanaverunt, commentariosque in eam ediderunt, inter quos Sextius, Aelius Petus Catus, M. Antistius Labeo, Gaius; quorum tamen opera malo fato periere, aut ex integro, aut magna ex parte, ita ut nec lex ipsa, nec legis ordo ad nos pervenerit, sed fragmenta tantum in iurisconsultorum, vel etiam grammaticorum operibus contexta. Quae tamen fragmenta satis sunt ut de lege integra disputare possimus. Atque haec in primis pro certis habenda videntur:

a) Duodecim fuisse tabulas; quarum singulae de re quadam leges simul continerent, ut singulae leges afferri possent. Ex. gr. « In secunda tabula, secunda lege scriptum est... » (Festus).

b) Quaedam leges ubi essent scimus. [7]

c) Quo ordine digestae singulae tabulae essent, aut singulae leges, dispici quadantenus potest e commentariis Gai, et ex operibus de iure civili.

Quae quum ita sint, exhiberi iam potest « systema iuris » ex lege XII tabularum:

I. De iudiciis (Tab. I-III).

II. De iure civili et de obligationibus ex delicto (De iure familiae et hereditario; De rerum dominio; De contractibus et de

[1] *Fontes quattuor iuris civilis*, 1653.
[2] *Uebersicht der bisherigen Versuche zur Herstellung des Textes XII Tafeln Fragmente*, 1824.
[3] *Legis XII tabularum reliquiae*, 1866.
[4] *Fragments and specimens of early latin*, 1874.
[5] *Fontes Iuris Romani antiqui.*
[6] *Fontes Iuris Romani Anteiustiniani*, Florentiae 1909.

[7] Cfr. Cicero, *De legibus* II, 25, 64.

obligationibus; De divortiis; De tutelis et curis; De delictis privatis) (Tab. IV-VIII).

III. De iure criminali (Tab. IX).

IV. De iure funerum (Tab. X).

V. Supplementa (Tab. XI-XII).

Singula argumenta per ordinem persequemur.

SYLVIUS ROMANI.

DE CATHOLICIS MISSIONALIBUS

« Reputantes ethnicos populos ad decies milies centena milia nnmerari, non habemus requiem spiritui nostro ».

(Pius XI, « Rerum Ecclesiae »)

Si quid est in rebus humanis plane divinum ad quod omnium studia se convertere debeant, id certe est animorum aeterna salus. Etenim animus, pars hominis praestantissima est atque immortalis, quo neque melius neque pretiosius aliud in natura mortalium est, atque a Deo creatus ut, aliquando, stabili certaque beatitate aeternis saeculorum aetatibus cum Deo Ipso potiatur.

Quo magis est mortalibus laborandum, suamque singuli operam praestare debent, ut, non modo suae quisque saluti consulat, sed aliorum quoque, quum nullo omnino modo maiorem insignioremque proximis nostris caritatem exhibere possimus, quam si eos e superstitionis tenebris educendos atque Christi fide imbuendos curaverimus; hoc ceteris caritatis operibus sic praestat, quemadmodum animus corpori, caelum terris, aeternitas tempori antecellit, ita ut cetera omnia in comparatione, nullius paene momenti esse videantur.

Quid melius in terris invenies quam hominibus divina verba nuntiare? Quid iucundius quam ea referre, quae Iesus discipulis ad gentes Sui legatos mittens edixit? Quid mortalibus, ne maiori dicam laudi, pari esse poterit ornamento et dignitati?

Quare summa veneratione divinum Christi mandatum sumendum, eoque sumpto, maximo honore et inviolata fide ad extremum usque diem ferendum, nostrum cura sit, quos sibi Deus iunxit amicos.

Sed ut singulare quiddam attingam, iuvat me hic nobiles sanctosque viros commemorare, qui haec divina Christi verba: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae » sua plane fecisse videntur; quorum quidem recordatio non modo opportuna, sed admirationi et exemplo nobis sit oportet.

Clarissimi illi viri, Missionales qui vocantur, christianum nomen atque evangelicum vivendi genus ubique terrarum in dies augent et studiosissime sublimis religionis et pietatis veritatibus, ingentem multitudinem, evangelicae legis adhuc insciam, pecudumque ritu vitam agentem, imbuunt.

Funesta tot populorum condicio, quos tenebrae horridae barbariae, quos dolenda calamitas errorum ac superstitionum detinent atque obruunt, eos maturius tangit atque movet.

Mirum! Eorum opera, ex disiunctissimis barbarisque regionibus, alter fidei christianae emersit orbis: centena mortalium millia, miserandis circumfusa tenebris, vesanis ritibus ac deorum inanium superstitionibus implicata atque in unius veri Dei ignoratione versata, ex oblivione in communem humani generis societatem sunt restituta, atque a fera agrestique vita ad hunc humanum civilemque cultum duducta.

Iam illud, hodie quoque, non infrequens est exemplum sane pulcherrimum religionis magnificentiaeque; incredibile quidem dictu, memoratu gratissimum; tot iuvenes fortes, atque virgines audaces, patria, parentibus, vitae commodis relictis, barbaras petunt regiones, ubi saepe eos immatura et acerba manet mors, nullo emolumento incitati, hac una spe ducti, ut eorum crescat multitudo qui veracem Deum excolant. Nonne videmus eos, nec valetudinis nec rei familiaris habere rationem, omniaque perpeti, ipso hominum amore captos et cum maximis curis et laboribus compensare eam, quam ex erudiendo capiant, voluptatem? Quem caritatis ardorem censetis fuisse in missionalibus illis, qui pro Christi nomine vitam dederint?

Quid de Francisco? quid de Massaia aut Xaverio loquar? a quibus propter evangelicae legis amorem, videmus ultimas terras esse peragratas.

Nos equidem, qui Christi nomine, mira ipsius bonitate, vocamur, amantissimi omnium gentium Redemptoris, quique adeo laetamur de plurimis gloriosisque, omne genus, Ecclesiae promeritis, vix possumus eloqui quanta miseratione erga illas afficiamur infelicissimas gentes, quanta caritatis amplitudine ad eas pandamus brachia, ut uni veroque Deo, sub Christi suavissimo iugo, possint tandem servire, divinae hereditatis nobiscum participes.

Quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine Christo esse potuisset?

Tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti, tu eos iustitiam et pietatem erga Deum et parentes docuisti; tu Magister morum et disciplinae fuisti. Ad te confugimus; a te opem petimus. Cuius igitur potius opibus utamur quam tuis? Qui et vitae tranquillitatem largitus es nobis et terrorem mortis sustulisti.

Quare vehementer ad extremum petemus a Dei Spiritu, Satanae ut tollat imperium; ut vincat et triumphet Christus; ut vigeant sanctissimae eius leges toto orbe terrarum; nullus et proditor, et desertor Eius sit, sed tales se praebeant omnes, ut constitutam illis ex omni aeternitate possessionem adeant Regni Caelorum, ubi beati cum Christo, sempiterno aevo fruantur.

Bononiae.

ANGELUS CARBONI.

Discipuli perfectio magistri laus.

S. AMBROSIUS.

RUIT AETAS!

Tibi quid excors longa fingis tempora
et inquieto pectore
rerum novarum congeris molimina.
carenda semper exitu?
In colle lucus me puello consitus
adhuc virescit frondibus;
Taburnus idem quem videbam parvulus
tollit superbum verticem;
mihi iuventa verna contra decidit,
fugacis instar somnii;
aetate fractum iamque corpus exhibet
ruentis ictus temporis.
Sed vita quorsum longior? quae munera
dat terra digna spiritu?
Plerumque foeda saepiusque ludicra,
mentem parumper attonant,
sitimque mox, quae corda torquet, acrius
beatitatis excitant.
Quid quod malis abundat et maeroribus,
urgensque cura cominus,
libata paulum, mox amaro toxico
spargit vel ipsa gaudia?
Tantisne vitam fertilem doloribus
quaeris diu producere?
Quid mors? malorum concupitus terminus
vitaeque verae exordium.
Dum sub tyrannis ingemiscit improbis,
dum fert iniqua martyres,
feliciori sede nonne proderit
mutasse terram noxiam?
Compesce questus nec moreris emori:
caelum tibi promittitur!
Mors nempe tempestiva semper accidit
cui vita Christus exstitit;
occumbit immaturus, ut vetustior,
spes dia cui non splenduit!

HIRPINUS.

PIUS VI PONTIFEX MAXIMUS [1]

Publicum aerarium instauravit, leges optimas dedit, latrones exterminavit, et, prae ceteris, cavit ne cuiquam quid minimum ultra ius fasque liceret.

Romam voluit monumentis insignem, amphitheatrum Flavium, addito opere, a ruina extrema prohibuit, sacrarium Vaticana basilica dignum a fundamentis excitavit, ubique in pontificia ditione egregia edidit opera, plura facturus, nisi lugubre immugiens Gallia, subvertens omnia, et Italis inhians thesauris, omnia caede, bello, rapinis implevisset.

Horret ac refugit animus a commemoratione scelerum, quae suprema superioris saeculi compleverunt.

Haec auditu atrocissima Pium vehementer angebant, et intentum ditandis populis, agriculturae, lanificiis, commerciis provehendis ad sublevanda miserrima, ad infelices inopesque omni ratione sustentandos, magnas inter angustias additas distrahebant.

Interea Napoleon ille Gallorum dux magno ingruebat exercitu, fusisque exiguis Pontificis copiis, iniiciebat manus in Lauretanae basilicae thesauros, in publicas et privatas opes, atque Urbis aeternae musea, bibliothecas populabatur, congestum a Xysto V in Adriana mole aurum ter centies et ultra libellarum centena millia, Gallica republica iubente, rapiebat; mox iterum amplioresque rapinae mandatae, patrataeque sunt; neque enim quoquot pretiosa vasorum erant in templis urbanis ad explendam avaritiam sufficere videbantur.

Octuagenarius Pontifex Pius, sollicitudinibus, moeroribus obsitus, magis quam annis, atque confectus, valetudine laborare, atque in exitum vergere visus est. Tunc hi, qui Gallicam rempublicam administrabant, sibi vindicarunt, quod iam ante perspexerant, ut ultimo Pontifici catholico (ultimus ex his fore Pius videbatur) et exsilium, et carcerem, et interitum quam citissime compararent. Nec mora. Potiuntur Urbe, invadunt omnia barbarico modo, et dum coenantem Senem adoriuntur exsilium dicturi, latrocinio turpissimo ea tollunt quae Pontifex suo usui addicta tenebat, non illa thecula aurea excepta, qua nicotiano interdum pulvere recreabatur; Hispani regis donarium hoc erat.

Detrusis in carcerem cardinalibus, et quotquot erant haerentes Pontifici, XIX mensis Februarii die, mane summo funebribus lucentibus taedis — nondum enim illucescebat — rapitur Pius hora post dimidium noctis quarta, cui frustra oblata libertas et magnum auri pondus fuit, si regnum scripto dimitteret, Gallisque traderet. At ille: « Habetis corpus meum in potestate vestra; animam meam non habetis. Vos ea quae carnificum sunt, me ea quae Pontificis manent ».

Ita nec mora, comitantibus efferatis militibus, per viarum incommoda subsultanti curru trahebatur Pius, in quem senectus, morbus ingravescens, frigus, vigiliae, interdum fames et sitis plus aequo saeviebant. Sic inter Alpium nives, septus armis, haud aliter ac si latro duceretur aut bellua, rapiebatur lacrimantibus in occursum populis, et genuflexis ubique, saepe etiam acclamantibus, frustra frendente manu carnificum, quibus tamen satiare dabatur et explere iram duplicatis contra morientem pene senem saevitiis, qui iam in eo erat, ut pedibus uti non posset, ac tanquam semimortui pondus e curru in diversoria deferebatur; diversoria tamen optimates urbium saepe offerebant.

Valentiam Delphinatus attigerat, in arce deponebatur decimaquarta mensis Iulii die; Augusti autem vigesimanona benedicens et precans a carcere, a carnificibus, ab angustiis et moeroribus huius vitae aeternum liberatus est morte.

[1] Cfr. fasc. sup.

Pium brevi moriturum omnes praenoverant; nam quae patrabantur in martyrem nemo ignorabat; mirabantur immo tam diuturno attrita martyrio membra senis nondum resolvi; nihilominus, audita morte, ubique conclamatum lugubre est, et funebria solemnia non urbs, non villa fuit quae non celebraret sacris, prece; neque praeconium fuit in quo ea, quae notabat historia stilo aeterno, inter victimam et tortores possent obrui silentio.

Et victima egregia hac, ultimo quasi holocausto propitiationis, inter Superos et homines conciliata pax est, ut turbolentissimi fluctus resederint.

Pergite nunc, et conferte exsulantis iter Pii cum illo triumphali itinere, quo sacrum cadaver Romam revectum est. Plaudebant coronis et palmis redeunti populi, et quasi vivo gratulabantur. Mihi autem legenti ea, quae tunc fiebant, redit in mentem illud ex libro Esther: « Ita honoratur, quemcumque voluerit rex honorare! » Tunc ante Mardochaeum Aman haec; modo Gallicae reipublicae consul, Napoleon idem, qui tanta necis pars fuerat, ante cadaver Pii conclamabat! Rex autem non Assuerus, sed Deus!

G. P.

AESTIVAE PEREGRINATIONES

Sublacum [1]

Monasterium quod in valle *Puceia* Benedictus constituit Sanctis Cosmae et Damiano dicatum, post Patriarchae mortem S. Honoratus, tunc asceterii abbas, olim ipsius Benedicti discipulus, cui in regendis S. Vallis coenobiis successerat, amplificatum, et augustiore templo ditatum, voluit ipsius viri Dei et Scholasticae, sororis eius, nominibus illustre. Hoc itaque, usque in praesens, est, quod Sanctae Scholasticae monasterium, et archicoenobium appellant (dum superius, specuense scilicet, a Sancto Benedicto appellatur), ipso Gregorio Magno Pontifice consecrante, et novum titulum iubente. Tertium fuit monasterium Sancti Angeli post lacum, sive *in Balzis;* quartum Sanctae Mariae *Morrae-Buttis;* quintum Sancti Hieronymi; sextum Sancti Ioannis Baptistae *in Campo de Arcu*. De quo monasterio ac templo haec non praetereunda reor, quae Mirtius praebet in *Chron.*:[2] « Quo loci Sanctissimus Patriarcha Benedictus ad sedandum murmur monachorum, qui in tribus montium monasteriis commorabantur, et aquae penuria laborabant, assiduis importunisque permotus postulationibus, quum noctu eo perrexisset, Deum attenta oratione deprecatus, aquam e montis rupe subito profluentem mirifice impetravit ». Tum haec addit in nota, quae corona sunt facti, et quasi fastigium: « Sanctissimum Patriarcham Nostrum Benedictum iuxta monasterium Sancti Ioannis Baptistae fontem a Deo precibus impetrasse, ultra maiorum nostrorum traditionem, accedit ad testimonium sacri specus pictura, nomen titulumque loci demonstrans. His addam et alium non spernendum testem, sincerae fidei, loci eremitam, qui cum pro veneratione fontalem hinc illucque aquam dilabentem in structili vase colligere curaret, coepit subterraneas fontis venas rimando pervestigare. Porro ad id operis executionem necesse fuit ingentem humi acervum effodere. Scaturigo quippe Benedictini fontis ob nimiam temporum diuturnitatem (annos supra mille et circiter trecentos) cooperta terra dumis frutetisque obsita exstabat. In ea itaque fontis investigatione dum rimas profundius inquireret eremita, tres reperit petras, quarum divus meminit Gregorius (qui annis DLXXIII, DCIV scribebat, testis de visu et de mora, neque

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] Cap. V, 51

ambulatorius, neque fortuitus, neque peregrinus), non eo, quo scripsit, positas ordine super invicem, sed inferiorem in plano collocatam solo, cui duae aliae superimpositae petrae, quasi in modum cunei erectae, et combinatae (*sic*) stabant. Utrum vero haec sint, aut fuerint, quas Ssm̃us Pater pro signo suis manibus posuerit, non ausim affirmare, et ab annis mille atque amplius centum — (Mirtius ad annum usque MDCXXXII plus minusque vixisse fertur) — usque ad hoc nostrum saeculum intactae ibidem permanserint, non ausim affirmare... Ceterum fontis illius aqua tantae est salubritatis, qua salubriorem vix alibi reperiri crediderim ; eo quod ad supplicationes Ssm̃i Patriarchae fuerit divinitus concessa. Cuius divinam propemodum virtutem febri assidua laborans, sanguinisque fluxum patiens, paeneque moribundus (ad Dei optimi laudem dico), ipsemet expertus sum ».

Septimum ex coenobiis aedificatum fuit eo in loco, qui tunc *Vinea Columbaria* dicebatur, in exigua planitie supra laci ripam, et Sancto Clementi Pontifici et Martyri dicatum ; hîc pulchra fuisse narrantur opere marmoreo pavimenta tum quadrato, tum texellato ; frequentior hic Patriarchae mora ; hic hortus arboribus pomiferis consitus, hic plura patrata miracula, hic ad Benedictum venisse et cum eo discubuisse Aequitius, Tertullus, Gallicanus, Vitalianus, Dolabella, Gordianus, Boëtius Severinus ac Symmacus. Pone hunc hortum, egregius arte, aedificio, pons a palatio Neronis, laeva ex parte lacus ad dexteram Thaleii montis pendicem, ferebat. Ex huius palatii ruinis, ac templi, erutae porphyreticae columnae et candida marmora, et ad ornandum Sanctae Scholasticae templum et coenobium adducta.

Octavum est, Sancti Blasii iam inde exsistens, fortasse Basilianis incolentibus Monachis, uti Vicovariense Sanctorum Cosmae et Damiani asceterium, et solitudo, in quod accitus Patriarcha fuit, et insidiis venenati calicis quaesitus ad mortem. Nonum Sancto Michaeli Archangelo dicavit ; decimum Victorino Martyri ad radices montis Porcarii ; undecimum Gennam versus, cui « vita aeterna » nomen ; duodecimum denique Sancto Andreae Apostolo dicatum est, ad fines Sublacensis abbatiae in agro Carseolano, prope castrum cui nomen italicum *Rocca di Botte*, scilicet « Arx Buttis », quippe Buttis, Cotys Regis Thracum filius, cum obsidibus Carseolos est missus.

Quorsum haec tam acuto stylo sequutus? Uti sciamus quid Benedicto simul, quid Sublacensi regioni debeamus. Non enim unumquodque coenobium minus XII viros doctos habebat, quibus ita divisus dies, ut octo horas impenderent psalmis precibusque, octo in transcribendis libris, quibus latinorum temporum divitiae in posteros defluerent, ac turbulentissimorum annorum praeter procellas fluctusque veherentur incolumes, octo reliquas ut somni, cibi potusque necessitatibus satisfieret. Super hos asceterium habebat et tirones, monachos, qui terrae colendae, qui moliendis calce, ferro, ligno, scalpro operam navarent, et ceteris artibus. Quapropter Benedictinorum Sublacensium opere, quidquid grande, singulare, egregium latini scriptores ab Ennio, ad Catonem, Varronem, Gallum, Claudium Augustum, et ultimos Claudianos ediderunt, integrum et incolume ad nos pervenisset, qui vix decimam nunc horum partem habemus. Cur ergo non pervenit? Quia effera Longobardorum gens, ipsa belluina immanitate ferocior, ex ultimis Europae finibus in Italas properabat oras, non ut quasi turbo percurreret, non ut in incolas dominaretur, sed ut omnia raperet, omnia incenderet, omnia occideret, locusque esset sibi occupandi sedes, quas mors et incendium vacuas fecissent. Hisce a teterrimis furiis, satis nunquam execratis et execrandis, omnia ad unum sanctae vallis coenobia expilata,. incensa sunt, praeter ea quae monachorum sanguis superefusus late restinxerat ; at haec post caedem diruta, subversa. Hinc tanto labore divitiae, scientia, artes periere, a Sublacensibus, inquam, Benedictinis congregatae, qui non modo in Sublacensibus coenobiis, sed in sexcentis aliis, exstabant. Nam super montibus Aequicolis, Marsis, Pelignis, Vestinis, Sabinis, in vallibus, in agris, in collibus Carseolanis, Sublacensi regioni vel proximis vel finitimis, Benedictina diligentia, industria, gratia, sedulitas, beneficentia, pietas aut asceteria erexerat, aut acceperat, et magna cum laude possidebat.

Quanta autem clades, quanta ruina inde fuerit vel hoc uno cognoscitur, quippe centum ac duodecim — oppida et vici — Benedictinorum Sublacensium erant. Quid ultra? Ab agris Palentinis (hi ad Scurculam in Marsis inter Advetianum ac Talleacotium sunt), usque ad mare Tyrrhenum inter ostia Tiberis et Circeium, perpetuus fundus Benedictinus reperiebatur, in quo monasteria, asceteria, coenobia, hospitia, diversoria, quae *Grancias* nominabant, frequentissima numerabantur. Haec omnia, usta, subversa, in cineres et solitudines Longobardorum rabie redacta sunt!

Atque ex hisce nonnulla in ruinis saeculo integro iacuerunt, prouti monasterium Specuense et Sanctae Scholasticae ; plura trecentis, et quingentis ferme annis, plurima nunquam ex clade illa rursus excitata sunt, bona fundosque invadentibus Longobardis praedonibus, velamen latrocinii habentes nomen dynastae, quibus postea iure belli Franchi successerunt, inde alii super atque alii, quasi, quod pius nolo scribere, satagentes ostendere. At ubi Sublacensia illa duo lumina revixerunt, iidem in eis labores ad asservandum quod nobis latinum superest, iidem hominum virorumque adventus, ita ut a Gregorio Magno ad Pium IX Pontificem, ab Imperatore Augusto Otthone III (nisi Ottho et Carolus, Magni utrique gestis et cognomento, praeiverint) ad Augustum Petrum de Alcantara Brasilianum, rari sint, qui Romam adventantes Sublacensia monasteria non inviserint. Iamque ego nescio utrum a Giotto ad Fracassinium pictor, sculptor, immo optimarum artium studiorumque cultor exstiterit tum ex alienigenis tum ex nostratibus, qui Romae moratus vel Tibure, Sublacum non visitaverit. Tot enim ibi sunt Musarum thesauri, quot regiones, quot agri, quot saxa. Quinimo praeli artem, qua mobilibus characteribus nunc libri scribuntur, non Guttemberghianae manus, sed manus monachorum primum in archicoenobio Sanctae Scholasticae, ipso ab exordio rei, in Italia exercuerunt ; cuius quidem facti impressi, quot illic servantur aetatis eius libri sunt testes, prouti clarus vir Leo Allodi, in prooemio ad *Chron.* Mirtii, tuetur.

Tanta autem prospectuum varietas, et ita oculis blandiuntur aquis, agro, rupibus, caelo, arboribus, cavernis, montibus omnia, ut fruentibus oculis conspici, lingua narrari non possint. Quid pulchrius quovis spatio loci ab urbe ad specum, ad lacuum loca prope flumen, prope montes? Quid grandius aspero loco illo ad scenae morem natura conflato, rupibus hinc inde eminentibus instar dentium, ad dimidium circuli, qui habetur ubi per Gregorianam viam sinistrorsum divertas paucis post passibus ab « icone Salvatoris », ferme sub aedicula Deiparae, cui nomen a febri, Boream versus in imo torrentis? H. P.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS[1]

Participium perfectum cum « habeo »

Utuntur Latini participio perfecto cum verbo « *habeo* », ut significent eam actionem quae participio inest, plane quidem absolutam esse, sed vim eius et eventum adhuc permanere.

[1] Cfr. fasc. sup.

EXEMPLA: Omnes *habeo cognitos* sensus huius adolescentis (CIC.) — Neque ea res *falsum* me *habuit* (SALL., *Iug.*, 10) — Quid potest esse tam opertum tamque perspicuum, quum caelum suspeximus, caelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur? Quod nisi *cognitum comprehensumque* animis *haberemus,* non tam stabilis opinio permaneret (CIC., *Nat. deor.*, II, 2) — Id *habent ratum,* quod ab eo quem probant, iudicatum vident (CIC., *Nat. deor.*, I, 5) — Non erunt homines deliciis diffluentes audiendi, si quando de amicitia, quam nec usu nec ratione *habent cognitam,* disputabunt (CIC., *Am.*, 14) — *Persuasum habeo* (CIC., *Verr.*, V, 25, 64) — *Inclusum* senatum *habuerunt* ita multos dies, ut interierint nonnulli fame (CIC.) — Verres deorum templis bellum semper *habuit indictum* (CIC.) — Atticus philosophorum *percepta habuit* praecepta (CORN. NEP.) — Vale et matrem meosque tibi *commendatos habe* (CIC.) — Multis iam rebus perfidiam Aeduorum *perspectam* Caesar *habebat* (CAES.) — Syracusam primum mihi litteras publicas, quas in aerario sanctiore *conditas habebant,* proferunt (CIC.) — Ita *statutum habeto,* me tui memoriam cum summa benevolentia tenere (CIC.) — Simplex animi natura est, neque *habet* in se quidquam *admissum* dispar sui atque dissimile (CIC.).

COLLOQUIA LATINA

Invitatio ad deambulandum [1]

PETRUS, MARCUS puer, IOANNES

PETRUS - Heus, heus puer! Nemon'huc prodit?

MARCUS - Quis effringit fores? Familiarem oportet esse. Tu, Petre? Quid adfers?

PE. - Me ipsum.

MAR. - Nae, tu rem haud magni pretii attulisti.

PE. - Atqui magni constiti patri meo.

MAR. - Credo pluris quam revendi possis.

PE. - O lepidum caput! Ioannes estne domi?

MAR. - Incertus sum ; sed visam.

PE. - Abi igitur,... et roga ipsum, an velit nunc esse domi.

MAR. - Abi tu potius, sisque tibi ipsi Mercurius.

PE. - Heus, Ioannes, num es domi?

IOANNES - Non sum.

PE. - Impudens! Non ego audio te loquentem?

IOAN. - Imo tu impudentior. Nuper ego ancillae tuae credidi te non esse domi, et tu non credis mihi ipsi?

PE. - Aequum dicis. Par pari relatum.

IOAN. - Equidem ut non omnibus dormio, ita non omnibus sum domi. Tibi posthac semper ero.

PE. - Sed tu mihi videre cochleae vitam agere.

IOAN. - Qui sic?

PE. - Quia perpetuo domi latitas, nec usquam prorepis. (Non secus atque claudus sutor, iugiter domi desides — Tu tibi domi situm contrahis).

IOAN. - Est quod agam domi ; foris nihil est negotii ; et si quid est, tamen hoc caelum me dies aliquot a publico cohibuisset.

PE. - At nunc sudum est et invitat ad deambulandum. Vide, ut blanditur.

IOAN. - Si prodeambulare lubet, non recuso.

PE. - Plane videtur hoc utendum caelo.

IOAN. - Asciscendus est unus aut alter congerro.

PE. - Fiet, modo dicas quos velis.

IOAN. - Quid si Hugonem?

PE. - Haud multum est inter Hugonem et nugonem.

IOAN. - Age, placet.

PE. - Quid si Alardum?

IOAN. - Homo minime mutus est. Quod auribus deminutum est, lingua pensat.

PE. - Si videtur, Nicolaum adiungemus.

IOAN. - Si quidem dabitur illius copia, nunquam erit fabularum inopia. Placent confabulones; superest, ut locum dispicias amoenum.

PE. - Ego tibi locum ostendam, ubi nec nemoris umbram, nec pratorum smaragdinum virorem, nec fontium vivas scatebras desiderabis.

IOAN. - Magnifice polliceris: dicis dignam Musis sedem, quae me pro studiis meis vehementer oblectabit.

PE. - Atqui tu perpetuo affixus es (assides) libris. Immodico studio te ipsum maceras.

IOAN. - Malim studio macrescere quam fame.

PE. - At non ideo vivimus, ut studeamus; sed ideo studemus, ut suaviter vivamus.

IOAN. - Mihi vero vel immori chartis dulce est.

PE. - Equidem immorari probo, immori non probo. Eamus.

ANNALES

Europaeum discrimen

Conventum inter Anglicorum administrorum Praefectum et Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis Praesidem, de quo in superiore eventum recensione nostra mentionem fecimus, alter ex adverso sequutus est inter Germaniae Cancellarium et Italicarum rerum supremum administrum, in Germanici exercitus praetorio. Relatum est duos viros quaestiones omnes tum militares tum civiles distincte ac definite perpendisse, quae praesertim ad hodierni discriminis progressionem atque diuturnitatem attinerent, firmamque demum voluntatem suam confirmasse protrahendi belli usque ad victoriam: novum ordinem qui, ex redactis ad irritum Bolscevicarum minis atque immodico pecuniae faenore apud Europeas gentes ab Anglica actitato, oriturus erit, pacificam, congruentem foecundamque sociam operam praestiturum in civili et oeconomica re, in ipsoque populorum omnium Europaeum continens incolentium animorum cultu. Conventus ipse duobus ducibus occasionem dedit primam exercituum sociorum frontem visitandi, quae frangendo Bolscevicarum copias in dies dilatatur orientem ac meridiem versus, dum Finni victores ad septemtriones ita procedunt, ut Careliam integram nunc iam reciperaverint.

Interim Canadensia et Anglica agmina Spitzbergas insulas occupant, iam ab anno MCMXXIV, post suorum iurium abdicationem a Russia factam, Norvegiae addictas. Ex parte sua Septemtrionalis Americae Foederatae Civitates possessiones nanciscuntur insularum aliquot Antillarum Anglicarum marisque Caraibici, ineuntque negotiationes cum civitatibus Centralis atque Meridionalis Americae mutuationum et conductionum, sub specie defensionis hemisphaerii occidentalis. Usque dum scribimus una Uruguaiana Respublica huic actioni adhaesit.

Ex Asia

Asiaticae res quoque superiore mense conspicuae fuere. Dum enim Thailandiam inter et Iaponiam rationes in melius vertuntur, Angli et Americani loca sua munire pergunt; hi immo auxilia Russicis atque Sinensibus Chang-Kai-Scek faventibus suppeditant Iaponiorum despicientia, qui militares provisiones vicissim ex Mandchiucuo instituunt.

Graviora autem in Perside (nunc *Iran* vocant) ; ubi hinc Russi, inde Angli illius regionis fines praetergressi, iuxta ferriviam sinum Persicum cum Caspio mari coniun-

[1] EX ERASMO recognovit, depromsit hodiernaeque vitae accommodavit I. F.